



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

Quod clare oste[n]ditur Christvs Dei filius. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

surrecturum, & in iudicio futuro rationem operum suorum redditurum: quomodo hæc concordant, hæc esse facta, quæ in futuro iudicio secundum Alchoran fieri expectantur? Nonne dicit Alchoran, nullum uiuum hominem deum accedere, & cum eo colloqui posse? Ecce quod huic dicto Alchoran non est fides adhibenda. & ut hoc ex textu Alchoran uerum uideatur, aduerte sic in textu dicti ex Cap. 14. fictio deo dicente: O IESU Maria fili, tu persuades hominibus, ut dei loco te matremque tuam deos habeant & uenerentur. Respondit IESUS: Nonne lit deus, ut quid præter uerum dicam, & si protuli, tu nosti, quia tu omnium secreta cordium noscens, mei cordis arcanum penetras, ego uero nequaquam tui. Tu scis itaque nil hominibus nisi mandata tua dixisse: scilicet, quod te deum meum & suum inuocent & adorent, quorum quamdiu tibi placuit, testis affui. Nunc autem tu, qui es testis omnium, postquam ab illis ad te me sublimasti, eorum cognitor existas, quibus si malum feceris, gens tua sunt; si condonaueris, tu es incomprehensibilis & sapiens. Dicit deus: Nunc instat dies, quo sua uindictis ueritas perficiet, eis etenim ueniam, quoniam me secuti sunt, quod ipsis præ cæteris lucrum est maximum, & paradysum aquarum fluxu dulcissimam, ubi perseverent, tribuam. Ego namque omnipotens deus, cælo & terræ & uniuersis quæ eorum capacitas continet, impero. Ecce textum, qui nihil facit contra diuinam CHRISTI filiationem. Sed quod CHRISTVS nunquam persuaserit se & matrem loco dei uenerari, nec id euangelium habet, nec Christiani credunt. Non enim uenit IESUS, nisi ut daret gloriam deo patri suo, & suam nequaquam quæsiuit.

QVOD CLARE OSTENDITVR, CHRISTVM esse Dei filium. Cap. X.

Diceret Arabs: Si CHRISTVS deus fuisset, utique cum Iudæi dicerent, quia tu homo cum sis facis te ipsum deum, non excusasset se, allegando in lege deos dici, ad quos sermo dei factus fuit, sed clare respondisset. Dicimus eum clare respondisse, aiebat enim: Si illos dixit deos, ad quos sermo dei factus est, & non potest soli scriptura, quem pater sanctificauit et misit in mundum, uos dicitis, quia blasphemias, quia dixi, filius dei sum. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non uultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia in me est pater, & ego in patre. Ecce quam clare locutus est: scilicet, non esse blasphemiam, si se filium dei dixit, & ideo se tacite deum confessus sit. Nam si sermonum dei capaces dii dicuntur, non est dubium, quin is quæ pater ut pater ab æterno sanctificauit, & in tempore in mundum misit, non blasphemat, si se dei filium appellat. Pater enim, ut pater, non generat nec sanctificat nisi filium, qui autem sanctificatus est à patre ante mundum, & deinde in mundum missus, utique coæternus patri est. Quod autem hoc cognosci possit, quantum ad credulitatem sufficit, opera ostendunt, quæ nullus hominum ante ipsum fecit ita quod humanæ naturæ illa ascribi non possunt, aut creaturæ, sed creatori. Nisi igitur pater creator esset in CHRISTO, quomodo eius opera CHRISTVS fecisset? Essentia igitur patris, quæ operatur omnia in CHRISTO erat. Et si deus pater essentialiter est in CHRISTO, erit CHRISTVS eius filius, quia eiusdem essentia. Erit igitur CHRISTI, quia filius, in patre, cum extra essentiam patris filius esse non possit. Sicut si auctoritatem mittentis uideo mittentem, & æqualem auctoritatem in misso uideo missum: utique mittens est in misso, & missus in mittente ob æqualitatem. De quo infra latius.

Christus solius patris gloriam quæsiuit.

Sermonum Dei capaces, dii appellati.

Christus Dei filius.

Quod